



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 11. Cardinalis de Ambasia Pontificatum ambientis artes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. rum agmen iter aggrediebatur, cui ta-
A.C. 1503. men juxta Regis vota propius civitatem
 accedendi spacium haud relictum est,
 nec plus Regi datum, quam ut Salutia-
 rum Marchioni præciperet, classem suam
 instrueret tot militibus, quot ex Cajeta,
 quin tamen urbem præsidio nudaret, e-
 ducere posset, demum vero ad ostiæ por-
 tum procurreret, & Consalvum a Roma-
 næ urbis aditu arceret, ne forte ipse
 Purpuratos in novi successoris electione
 ad sua vota compelleret. Regis man-
 dato obtemperat Marchio, Ostiam-
 que pervenit, ac quatuor millia, Vete-
 ranæ militiæ viros classi imponit, eisque
 in loco tam opportuno castra designat,
 ut adventantis Consalvi metu omnino
 liberi essent. Eodem etiam tempore
 Mantuanus Marchio cum suis copiis iter
 suscipiebat, suoque adventu Valentini
 Ducem sensim pristinæ suæ sanitati re-
 stitutum præpediebat, ne Hispanis jun-
 ctus, arma in Gallos converteret.

§. XI.

*Cardinalis de Ambasia Pontificatum
 ambientis artes.*

Nihilominus Valentini Dux, cum suæ
 etiam securitati haud satis cautum
 esse cerneret, odio, quo in Gallos fere-
 batur, imperare, ac Cardinales Franciæ
 rebus

rebus studiosissimos sibi conciliare sa-
 tagebat; quocirca Sanseverinatem Car-
 dinalem, & Matthæum Transivum Lu-
 dovici Regis Romæ Oratorem perhono-
 rifice invitabat, ut eum invisere vellent:
 Nec illi obsequium recusant, eosque Dux,
 ne præteritas exequerentur injurias, ro-
 gat, juramenti religione contestatus, se
 semper inviolabili fide Gallis adhæsurum,
 nec ultra adversum se querendi lo-
 cum eis daturum: ut vero promissorum
 facilitati promptior fides adhiberetur, se
 tam a Columnensibus, quam Hispanis of-
 fensum, utriusque fidelitatem sibi sus-
 pectam habere professus est: Cum vero in-
 superhabita hac declaratione se a Gallis
 comprehendi pertimesceret, pluribus cri-
 minis atrocitatem efferebat, quo sese
 contaminarent, si ipsius vitam hostium suo-
 rum furori litare præsumerent.

Equidem Cardinalis, atque Orator
 hac promissorum amplitudine parum mo-
 vebantur, nihilominus verbis fidem ad-
 struere simulabant; quippe Cardinalem de
 Ambasia ad Papatum evehere cupiebant,
 id vero absque Ducis amicitia consequi
 desperabant. Idem ipse Cardinalis Vir
 ambitione inflatus, ac Pontificiæ digni-
 tatis cupidissimus, ut hanc adipisceretur,
 Ascanio Sfortiæ Cardinali in Galliis ca-
 ptivo libertatem procuravit, spe fretus,
 illum ex gratitudinis lege ejus commo-
 Hist. Ecclesiast. Tom. XXXI. G g dis,

Sæcul XVI dis, votisque inserviturum; quapropter
A.C. 1503. Sfortia non modo liber dimittebatur, sed
 etiam restitutis omnibus ejus bonis magnifico comitatu honorabatur: Præterea Sanseverinas, atque ipse Regis Orator, qui Cardinalis de Ambasia ambitioni suffragabantur, Valentini Duci fidem dederunt, certam ipsi, eamque maximam spem in Galliarum Regis præsidio repositam esse, iis tamen legibus ut I. copias suas Gallicis jungeret, quamprimum securitati ejus plene cautum esset, II. nil inausum, intentatumque relinqueret, ut Cardinalis de Ambasia in summum Pontificem eligeretur. Cuncta se effecturum Dux spondit, unde foedus sancitur, adjecto quodam secreto articulo, qui de Gallici hujus Ministri electione ad Papatum agebat, Duxque nonnullos recensuit Cardinales, quorum assensum omnino certum assererat, imo quamvis illis necdum collocutus fuisset, pro eorum tamen suffragiis cavebat. Enimvero oppido mirum videtur, quod Galli promissis, quæ non modo suspecta videbantur, sed re ipsa penitus inania habebantur, fidem adstruere non dubitarint.